



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epitome In Qvator Lib. Sententiarvm M. Petri Lombardi**

**Spina, Claudius de**

**Parisiis, 1551**

9. de consequentibus confirmationem angelorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38840**

tialiter illabi animæ, sed applicatione & oppressione vniri: Illabi autem menti, illi soli possibile est, qui creauit, qui natura subsistens incorporeus, captabilis est suæ facturæ. Beda quoq; in locū Actū 5. Cur impleuit sathanas cor tuum? dicit quòd sathanas impleuit cor Ananiæ, non intrando, sed malitiæ suæ virus inferendo. His authoritatibus constat quòd dæmones non substantialiter intrant corda hominū, sed propter malitiæ effectū, de quib' pelli dicuntur, cū nocere nō finūtur.

### DE CONSEQUENTIBVS

confirmationem Angelorū quantū ad ordinum distinctionem.

D I S T I N C T. Nonæ  
C A P. Primum.

*Novem sunt ordines Angelorum, & ordinum tres Hierarchiæ.*

**S**criptura in pluribus locis nouē esse ordines Angelorum, in hisque ordinibus tria terna esse, & in singulis tres ordines vt trinitatis similitudo in eis insinuetur impressa, promulgat. Vnde Dio. tres Angelorū *Lib. 1.* ordines esse tradit, ternos in singulis ponēs. *Ecl.* sunt enim tres superiores, Seraphin, Cherubin, Throni: Tres medij, Dominationes, *Ca. 6.* Principatus, & Potestates: Tres inferiores, Virtutes, Archangeli, Angeli.

*Quid Ordo in genere & specie,  
definitur.*

Ordo dicitur multitudo cælestium spi- *Ordo*  
rituum, qui inter se in aliquo munere gratiæ  
similantur: sicut & in naturalium datorum  
munere conueniunt: vt Seraphin dicuntur  
qui præ aliis ardēt charitate: Chērubin, qui  
aliis in scientia præeminent: Thſoni, qui (vt  
*Luc. 15* ait Grego.) tanta diuinitatis gratia replen-  
*ho. 34.* tur, vt in eis sedeat Deus, & per eos iudicia  
decernat & informet: Dōminationes, qui  
principatus & potestates transcendunt. Prin-  
cipatus, qui sibi subiectis quæ sunt agenda  
disponunt, eisque ad explenda diuina, my-  
steria principantur: Pōtēstates, qui hoc cæ-  
teris potentiū in suo ordine acceperunt, vt  
virtutes aduersæ eis subiectæ eorum refre-  
nentur potestate, ne homines tantū ten-  
tare valeant, quantum desiderant. Virtutes  
dicuntur illi, per quos signa & miracula fre-  
quenter fiunt: Archangeli, qui maiora nun-  
ciant: Angeli, qui minora.

C A P. Secundum. Excellentia Ordinum  
*sumitur ab excellentia donorum.*

**O**Mnia illa gratiarum dona in omnib<sup>9</sup>  
sunt (vt ait Greg.) nō tamē equaliter:  
quia alij aliis sublimiū possidēt, & ex  
præcipuis & excellētioribus donis tributa  
sunt eis nomina: vt Seraphin, qui est oīm su-  
prem<sup>9</sup> ordinū: quāuis dilectionē & cognitio-

N iij

nē diuinitatis cæteris sublimius percipiat, à charitate tamē, excellentiori dono quàm sit scientia, nomen accepit. Item cum scire maius sit quàm iudicare (scientia enim informat iudicium) secundus ordo à secundo dono, id est cognitione veritatis, Cherubin appellatus est. sic & de aliis intelligendum est. Ex quo colligitur, quòd excellentia ordinū sumitur ab excellentia donorū. Cum autem dictū est q̄ quisq; ordo ab illo dono nominatur quod plenius possidet, intelligendum est comparatiuè ad inferiores, non autem ad superiores ordines. Seraphin enim sicut præeminet Cherubin in charitate, ita & in cognitione: quia tantum cognoscit ibi quisque, quantum diligit. Vel potest comparatio referri nō ad ipsos ordines, sed ad alia dona: nec ad omnia alia dona, sed ad quedā.

*CAP. Tertium. Ab initio creationis iis ordinibus non fuerunt distincti Angeli, quanuis inter eos natura fuerit prælatio.*

**Q**uòd per ordines Angeli fuerint distincti ab initio suę creationis videtur testimoniis Scripturæ insinuari, quæ tradit de singulis ordinibus aliquos cecidisse. De ordine nanque superiori Lucifer *exech.* ille fuit, quo nullus dignior conditus fuit. 38.c. Apostolus etiam principatus & potestates *ep̄h. 6.*

tenebrarum nominat, ostendens de ordinibus illis aliquos cecidisse. Sed non videtur illud posse stare. Non enim tunc charitate ardebant, nec sapientia pollebant, neque in eis Deus sedebat: si enim hoc habuissent, non cecidissent. Non ergo tunc erant Cherubin, aut Seraphin, vel Throni.

Ad quod dicimus, quia ante casum quorundam non erant isti ordines: quia nondum habebant dona, in quorum participationibus conueniunt. Sed quibusdam cadentibus, aliis apposita sunt, quæ eis qui ceciderunt collata fuissent eadem dona, si perstitissent. ideoque Scriptura dicit de singulis ordinibus aliquos cecidisse: non quia fuissent in ordinibus, & postea corruerint: sed quia, si perstitissent, eorum aliqui fuissent: in singulis ordinibus, qui & in naturæ tenuitate, & in formæ perspicacitate differentes gradus habebant: sicut illi qui perstiterunt. Et sic alij superiores (qui natura magis subtiles, & sapientia magis perspicaces) alij inferiores (qui minus hæc habebant) conditi sunt.

*Natura  
aliqui sunt  
angeli superiores  
aliis.*

CAP. Quartum. Non omnes angeli eiusdem ordinis sunt æquales.

**A**ngelos eiusdem ordinis æquales esse nec est probabile, neque assertionem dignum. Quia Lucifer, qui fuit ex collegio superiorum, ipsis etiam dignior extitit,

qui alijs excellentior creatus fuerant. Ex quo percipitur, quòd si perstitisset, in ordine superiori fuisset, & alijs eiusdem ordinis dignior extitisset. Sicut enim in ordine Apostolorum aut Martyrum alij alijs sunt digniores: ita & in ordinibus Angelorum rectè esse creditur.

*C A P. Quintum. Non esse decimum ordinem de hominibus statuendum.*

**G**rego. ait homines assumendos in ordines Angelorum, quorum alij assumuntur in ordines superiorum, qui scil. magis ardent charitate: alij in ordines inferiorum, qui scil. sunt minus perfecti. Ex quo apparet non esse de hominibus formandum decimū ordinē: sed homines pro qualitate meritorum statuendos in ordinibus Angelorū. Quòd ergo legitur decimus ordo complendus de hominibus, ex tali sensu dictū fuisse accipi potest, quia de hominibus restaurabitur quod in Angelis lapsum est: de quibus tot corruerunt, ut possit fieri decimus ordo. Ideo Apostolus dicit restaurari omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ etiam in terris sunt. ho. 24  
in 25.  
c. Luc.  
Eph. 1.

*C A P. Sextum. Homines assumuntur iuxta numerum stantium, non lapsorum.*

0.34. **C** Regor. Superna illa ciuitas ex Angelis & hominibus constat, ad quam credimus tantos humani generis ascendentes, quantos illic contingit Angelos remāsisse, iuxta illud Deut. 32. Statuit terminos populorum iuxta numerum Angelorū Dei. homines autē reparari iuxta numerū eorum qui ceciderunt Angelorum, videtur sentire Aug. in Enchirid. ita dicens: Superna Hierusalem, mater nostra, ciuitas Dei, nulla ciuiū suorū numerositate fraudabitur, aut vberiore etiam copia fortasse regnabit. Vbi apertē dicit nō minus de hominibus saluari, quā corruit de Angelis: sed plus non asserit.

f. 103. b. l. 3.  
et 123<sup>a</sup> l. 23

DE MISSIONE ANGELORUM.

D I S T I N C T. 10. C A P. Primum.

*Angeli inferiores mittuntur.*

**D** An. 7. Milia milium ministrabant ei, & decies centena assistebāt ei. Item Dio. in Hierarchia, quæ sacer principatus dicitur, de prelacione spirituum ait: Superiora illa agmina ab intimis nunquam recedūt, quoniam ea quæ præeminēt, vsum exterioris officij nunquam habent, id est rarissimē ad exteriora prodeunt.

C A P. Secundum. Superiores quandoque mittuntur.